DE DIABETE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XVI. M. JANUARII A. MDCCCXXXIX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

Ferdinandus Fock
SUNDENSIS.

Opponentibus:

A. ROSSIÉ, med. et chir. Dr.
C. HARPERATH, med. et chir. Dr.
J. MAYER, med. et chir. Cand.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

AVUNCULIS

SPECTATISSIMIS, CARISSIMIS

J. MEIER,

ET

G. MEIER,

VIRIS MAXIME COLENDIS, DE SE SUISQUE MERITISSIMIS,

NEC NON

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

HASCE PAGELLAS

SUMMA CUM PIETATE ET VENERATIONE CONSECRAT

D. D. D.

AUCTOR.

DEFINITIO.

Diabetes, a Graeco διαβαίνω, dicitur morbus, cujus symptoma praecipuum in urina praeter normam adaucta cernitur, quae urina, plerumque potu longe copiosior, principiorum nutrientium, praecipue sacchari, admixtione mutata, profluvio suo nutritionem totius corporis sensim corrumpit, tandemque veram corporis colliquationem inducit. Sitis inexplebilis, desiderium ciborum perpetuum, cutis arida, fere pergamena, hancce urinae uberrimam secretionem comitantur. Exstant alia quoque morbi nomina, ut diarrhoea urinalis, profluvium urinae, hydrops ad matulam, dipsacus, urorrhoea diabetica, phthisuria, urophelma, sipho urinae.

HISTORIA MORBI.

Diabetes vetustissimis jam medicis cognitus fuit. Aretaeus (1), Celsus (2), Galenus (3) definitiones morbi fusiores ediderunt; Demetrius Apameus (4)

(1) De causis et signis morborum lib. II. c. 2. p. 193.

(2) De medic. lib. IV- c. 20. §. 2.

(3) De locis affect. lib. VI. c. 3. p. 311.

(4) Cael. Aurel. de morb. acut et chron. l. III. c. 8. p. 469.

primus morbum diabeten nominavit; Rondelet (1) porro, Lomnius (2) aliique diabeten observarunt, ac descriptiones morbi obtulerunt.

Sed medici antiquiores, copiam tantum urinae respicientes, crasin ejus omnino neglexerunt, donec Thomas Willis in urina diabetica, analysi chemicae submissa, principium saccharinum detexit, itaque novam morbum investigandi viam aperuit. Quem secuti sunt recentiores: Morton, Darwin, Dobson, Cullen, Home, Nicolas et Gueudeville, Chevallier, Barruel, Wollaston, Vauquelin, Segalas, Cruikshank, Marabelli, Rollo, P. Frank, Dupuytren et Thenard, Renauldin, Pinel, de Stosch, alii.

DIVISIO MORBI.

Quod ad divisionem morbi attinet, diabeten verum et spurium distinguimus. Diabetae veri tres nobis proponuntur formae, insipidus nempe et mellitus, prout urina insipida, aquosa est, aut saccharo admixto dulcis. Ambae tamen formae ipsa natura non valde distare videntur, quippe quae in eodem aegro vicissim se excipiant, quare Formey aliique recentiores diabeten insipidum a diabete mellito gradu tantum differre, urinamque in illo ob majorem aquae copiam materias anomalas adeo solutas continere existimant, ut sapore et odore difficilius percipiantur. P. Frank (3) optime de diabete insipido judicare mihi videtur, dicens, materias

---

(1) Method. curand. morb. c. 42. p. 525.
(2) Observat. medicinal. l. II. p. 215.
(3) De curand. hom. morb. epit. lib. V. p. 35.

anomalas in hoc propius ad animalem naturam accessisse quam in diabete mellito. Tertiam denique diabetae formam, in qua urina parca quidem, sed dulcis mingitur, diabeten decipientem appellamus.

SYMPTOMATA.

Quae diabetae symptomata essentialia in definitione commemoravimus, vel homines ex improviso adgrediuntur, praesertim si diabetes morbum acutum sequitur, qui prodromos praemittit, vel post antesignanos, per mensium spatium nonnunquam praegressos. Sunt autem haecce diabetae exordia: Appetitus ciborum perversus, plerumque adauctus, sine satietatis sensu, raro diminutus; alienata digestio, ructus acidi, pyrosis, frequens acidi mucosive fluidi vomitio; alvus modo regularis, modo tarda; raro diarrhoea; tensio praecordiorum, tussis sicca, spastica, morositas, lassitudo artuumque dedolatio, praesertim dolor circa suras aut pedem. Interdum exanthemata et glandularum tumores [Reil (1)]. Sitis magna et urinae profluvium solito largius, cujus vero aegroti vix unquam rationem habent, potus uberioris effectum existimantes. Pulsus frequens, duriusculus, cum febri lenta incipiente, interdum autem mollis et rarus. Quae vero diabetae signa plurimis in casibus lentius evolvuntur ac tam occulto crescunt, ut medicus certam incipientis morbi diagnosin constituere vix possit, aegrotus autem ejus exordium vel certo indicare nequeat, vel omnino ignoret. Cum vero morbus

---

(1) Erkenntniss und Cur der Fieber. Bd. III. p. 456.

progreditur, symptomata adeo perspicua exhibet, ut nullo modo praetermitti possint.

Observantur nimirum in fluxu diabetico haecce symptomata gravissima:

Urinae secretionem si respicis, valde alienatam invenies, sive quantitatem sive qualitatem spectes. Quantitas urinae tanta hoc in morbo esse solet, ut plerumque copiam fluidorum, quae assumta sunt, longe superet. Scriptores fere omnes exempla hujusmodi tradiderunt, praesertim Tr. de Krzovitz (1) majorem eorum numerum collegit. Nonnulla, quae notatu dignissima fereque incredibilia videntur, referam. Fonseca aegrotum vidisse testatur, qui singulis diebus ducentas urinae libras mingeret. Livizanus et Barati (2) duo exempla apposuerunt, in duabus feminis observata. Femina enim, quam Livizanus observavit, quoque die quadraginta ad quinquaginta libras reddidit, ita ut intra nonaginta dies quater mille centum et septuaginta libras excrevisset. Altera femina, de qua Barati refert, nonaginta tribus diebus ter mille sexcentas septuaginta quatuor libras urinae reddiderat. P. Frank (3) puellae mentionem facit, quae, etsi septem tantum libras tum solidi alimenti tum potus assumsisset, triginta sex tamen pintas urinae miserat, idem virum quendam quotidie urinae libras quadraginta, imo semel quinquaginta duas, reddidisse narrat. Similia exempla afferunt Lu-

---

(1) Trnka Krzowitz, de diabete comment. Vindob. 1778.
(2) Morgagni, de sedib. et caus. morbor. ep. XLI. art. 15.
(3) l. c. p. 28.

sitanus (1), Morgagni (2), Reilius (3), Fothergill (4), Cawley (5), Home (6), Dupuytren et Thenard (7). Attamen haud semper urinae copia tanta est. Describuntur enim casus, in quibus lotii pondus ingestorum copiam haud superaverit. Novissimis nempe temporibus Berndt (8) ex singulis, quos curavit, diabeticis compertum habet molem urinae missae assumti potus ac cibi copiae omnino respondere, id quod jam Rollo invenit; imo saepissime urinae minus excerni affirmat, quam alimentorum per fauces ingeratur.

Natura urinae mutata haud minoris momenti est, quam copia. Est enim urina diabetica plerumque pallida, subflava, vel subviridis, opalescens, turbida, saepe per aliquod tempus seposita sedimentum mucosum dejicit; odore peculiari nrinoso et ammoniacali caret, sed dulci est odore et sapore. Sapor tamen dulcis hujus urinae a mellis dulcedine eo differre dicitur, quod in ore frigoris sensum efficiat. Majus pondus specificum exhibet, quam sani hominis; normalis nempe urinae pondus inter 1,005 ad 1,030 variat, diabeticae vero ad 1,050 evehitur. Marabelli (9) acidam eam invenit, John (10)

---

(1) Prax. med. admir. I. II. obs. 80.
(2) I. c. ep. XL.
(3) l. c. p. 463.
(4) Sammlg. auserlesn. Abhandlung. Bd. I. p. 2.
(5) Sammlg. für prakt. Aerzte. Bd. XIII. p. 113.
(6) Cullen, Bd. III. p. 579.
(7) Journal de med. Vol. XII. Août 1806.
(8) Klinische Mittheilungen, Heft II. S. 181. Greifsw. 1834.
(9) Salzb. med. Zeitg. 1794. Bd. I.
(10) Chem. Untersuch. mineral. vegetabil. u. animal. Substz. Berlin 1810.

neutralem, **Dupuytren** et **Thenard** (1) nec non **Hünefeld** (4) vix acidae reactioni parem, **Lehmann** recens missam neutralem, per aliquod tempus sepositam acidam. Hydrargyrum nitricum in sano lotio roseum, in diabetico album efficit sedimentum; sibi derelictum fermentationem vinosam, tum acidam subit; sani hominis lotium mox putrescit, diabetici post hebdomades demum; igni admotum suaves exhalat vapores, tum vero turbidum spissiusque redditum, fuscam, melliformem, vel saccharinam materiam largitur, cereae consistentiae et tenacitatis, quae aëri obnoxia, madefacta, syrupi spissitatem, odorem et speciem praebet; sin acidum nitricum affunditur, acidum oxalicum prodit (3). Ulteriore solutione et inspissatione depuratur et ad sacchari communis puritatem adigitur. Ex hac materia crystalli pulcherrimae et plane pellucidae parantur, quae spiritu vini calido facile solvuntur. Constat saccharum diabeticum ex 39,99 carbon., 6,66 hydrog., 53,33 oxygen. cum particula azoti [**Prout** (4)]. Materiae saccharinae modo major, modo minor copia urinae evaporatione obtinetur, et cum morbo augetur et diminuitur, ita ut, si nihil talis residui evaporando obtinueris, morbum demum plane ablatum dicere possis. **P. Frank** (5) ex quatuor et viginti urinae libris viginti sex materiae sac-

---

(1) Gehlen, Journal für Chemie u. Physik. Bd. 6.

(2) Hünefeld, physiolog. Chem. II.

(3) Cruikshank in Rollo cases of the diabetes mellitus. London 1797. Uebersetzt von Lugler, Stendal 1801.

(4) Hünefeld, l. c. 163.

(5) l. c. 30.

charinae uncias obtinuit, Cruikshank (1) ex triginta sex unciis tres uncias, post septem autem hebdomades ex totidem unciis ejusdem aegroti uncias duas et dimidiam. Caret urina diabetica omni acido urico; de urea disceptatur; plerique, ut Rollo et Cruikshank, Nicolas et Gueudeville, Dupuytren et Thenard negant eam adesse, Bostock (2) contra, Barruel et Prout aliquantulum ejus in urina diabetica semper invenerunt. Salia phosphorica in urina diabetica diminuta inveniuntur. Albumen Dupuytren et Thenard (3) haud detexerunt, Nicolas et Gueudeville (4) tamen et Hünefeld (5) materiam albuminosam et gummosam invenerunt. Rose contendit, urinam sacchari plurimum continentem albumine carere, albumen contra apparere, quo magis saccharum evanuerit; existere etiam diabeten, in quo lotium sine ullo sacchari vestigio tantum albumen praebeat. Idem Hünefeld censet. Thenard (6) observavit, urinam, cum diabetes mellitus in melius verteretur, albumine ditiorem fieri. Quibus probari videtur, quod in divisione morbi protuli, diabeten mellitum et insipidum vix natura, sed tantum gradu differre, ita ut hic in illum, si morbus crescat, ille in hunc transeat, si morbus levior reddatur, aut evanescat.

Nocturno tempore major copia urinae mingitur, quam interdiu et perpetua mingendi necessitate somnus

---

(1) Rollo, l. c.
(2) Gehlen, l. c. II. 202.
(3) Gehlen, l. c. II. 214.
(4) Annales de chim. Tom. XLIX. p. 347.
(5) Hünefeld, l. c.
(6) Gehlen, l. c. II. 219.

aegrotorum turbatur. Mictus plerumque hoc in morbo omni dolore destituitur et normalis est, sunt autem, qui dysuriam et incontinentiam urinae observarint.

Quo autem gradu haecce symptomata modo commemorata augentur, eodem secretiones reliquae diminuuntur. Cutis sicca, arida, saepius pergamena, ad desquamationes farinosas vergit. Transpiratio omnis deficit, sin accedit, plerumque urinae copiam diminuit, et boni ominis habetur. Alvi excretiones rariores sunt, quare ingens fere faecum moles persaepe in intestinis accumulatur. Plerumque faeces pallidiores et duriores solitis sunt, neque odorem faeculentum, sed peculiarem quendam edunt [Rollo (1)]. Siccitas oris et pharyngis magna; multi aegroti saepius multum tenacis, spumosae acidaeque, vel melleae salivae ejiciunt. (Rollo). Gingivae tument, ut in scorbuto, dentes labefiunt et excidunt. Lingua sicca, albida, cum marginibus subrubris, mox splendidae nigredinis [Wolff (2)]. Halitus oris vel foetidus vel acidus. Interdum sapor melleus. Observata quoque est dulcedo ceruminis aurium [Stosch (3)].

Ex hac membranarum mucosarum affectione sitis illa deducenda est, quae miseros die noctuque vexat. Est enim ingens, interdum aliquantulum diminuta, cum morbo crescens, neque in ullo alio major; et, quod incredibile fere, poculo vix ab ore remoto, oreque sa-

---

(1) Rollo, l. c. und Le Fils in Rust's Magazin Bd. IX. Hrft 3.

(2) Wolff, in Hufeland's und Himly's Journal Bd. XXX. S. 127.

(3) v. Stoch, Versuch einer Pathologie und Therapie des diabetes mellitus. p. 77.

tis adhuc madente, jam revertitur. Talimodo aegroti, continua bibendi libidine fatigati, per viginti quatuor horas quadraginta vel centum libras potulentorum assumunt [Knebel (1)].

Eodem gradu, quo sitis crescit, fames quoque adaugeri solet. Exoritur plerumque una cum siti, neque cibis satiatur; crescit cum morbo atque tum demum evanescere solet, cum febris manifesta accesserit. Modo remittit aliquantulum, modo tempore insolito, ut noctu aegrotos aggreditur. Anorexiam, quam nonnulli diabeticis adscribunt, alii numquam observarunt.

Alienatio coenaestheseos aliam exhibet symptomatum catervam, quorum primum commemoro, ardorem praecordiorum. Initio morbi atque in levioribus ejus formis minus animadvertitur, exculto autem illo, nunquam fere deficit. Constantius vero sensus languoris et debilitatis morbum comitatur et jam in primis stadiis, etsi minori gradu, apparet. Huc accedunt plerumque frigoris, aut frigescentis quasi liquoris, ex lumbis ad vesicam descendentis sensatio, ardor stomachi, calor viscerum mordax, interdum dolor crurum, praesertim surarum, regionis sacrae etc.

Singulare ac notatu dignissimum symptoma est diminutio aut abolitio instinctus sexualis [P. Frank (2), Wolff (3), Horn (4), Berndt (5), Hertzog (6)],

---

(1) Knebel, Materialien zur theoret. u. prakt. Heilkunde Bd. I. p. 125 — 137.

(2) P. Frank, l. c.

(3) Wolff, in Horn's Archiv. Bd. VI. Heft. 1.

(4) Horn, Archiv 1816. Heft 1.

(5) Berndt, l. c. Heft. 2.

(6) Hufeland, Journal Bd. VII. Heft 2.

nonnunquam cum penis ac testiculorum atrophia conjuncta. Haud raro tumor atque excoriationes glandis et praeputii penis. Inter haec morbi symptomata aegrotantes valde macrescunt atque imbecilles fiunt. Interdum vocis sonus peculiaris, raucus atque exilis, observatur; saepissime autem affectiones catarrhales, praesertim in ultimo morbi stadio, his adjunguntur, quae haud raro in veram pulmonum phthisin exeunt.

Liceat denique sub finem symptomatologiae perpauca de sanguinis diabetici conditione afferre. Colorem sanguinis Rollo (1), Watt, Nasse (2) normalem, fuscum invenerunt. Qui prius missus erat sanguis, tardius coibat, quam serioribus venaesectionibus detractus. Rollo, quum sanguinem in fenestra septentrionem versus spectante frigori hiemali submisisset, cohaerentem et homogeneam massam invenit, nec serum nec crassamentum segregata erant. Sanguis diabeticorum plerumque crassa, tenaci crusta obtegitur. Home (3) crustam inflammatoriam observavit. De seri copia valde discrepant sententiae; alii seri copiam normalem, alii [Rollo, Berndt (4)] diminutam, alii denique [Nicolaus et Gueudeville (5), Nasse (6)] adauctam se invenisse affirmant. Color seri turbidus inventus est. Per longius tempus asservatus multo difficilius putrescit, quam

---

(1) Rollo, l. c. 36.

(2) Nasse, Untersuchungen zur Physiologie u. Pathologie Bd. 1. 298.

(3) Home, bei Rollo.

(4) Berndt, l. c. 172.

(5) Nic. et Gueud. l. c. 355.

(6) Nasse, l. c. 300.

sani hominis sanguis, sed intra biduum substantiam caseosam in superficie format, quae tamen sero evaporato evanescit, quo facto sicca et resinosa massa remanet (Rollo), neque ante decimum sextum diem putredinis signa apparent. Permultae denique disquisitiones de saccharo sanguini admixto a viris clarissimis institutae sunt. Dobson (1) serum sanguinis dulci sapore, Rollo (2) vestigia sacchari in sanguine soluti reperit. Nuperrime quoque Zipp (3) dulcem sanguinis saporem et odorem sese delibasse affirmat. Nec Home (4) et Darvin (5) sacchari vestigia detegere potuerunt, neque unquam chemicis analysibus, quas Nicolas et Gueudeville, Dupuytren et Thenard, Wollaston, Davy, Nasse, alii instituerunt, saccharum e sanguine obtinebatur.

DIAGNOSIS.

Symptomata diabetae tam clara et manifesta quidem sunt, ut vix cum alio morbo confundi possit, attamen necesse videtur, nonnullorum morborum mentionem breviter fieri, qui uno alterove symptomate diabeten imitari videntur.

Est autem diabetes verus a spurio distinguendus. Spurius nempe ea vocatur urinae excretio, quam in spasmis hystericis, hypochondriacis, in rheumaticis affectibus, in crisi morborum, ut hydropis, post medicami-

(1) Dobson, l. Rollo 133.
(2) Rollo, l. c. 118.
(3) Hufeland, Journal Bd. 65. St. 7.
(4) Rollo, l. c. 137.
(5) Darwins Zoonomie Bd. I. 318.

num ureticorum usum, adauctam quidem, attamen sine tabe et siti illa ingente observamus. Crasis praeterea hujus urinae vix a norma recedit. Quare constat, symptomaticum hoc urinae profluvium copia sola diabeten verum interdum adaequare. Quonam modo diabetes ab enuresi, a dipsaco, lienteria urinali, si talis morbus existit, sit distinguendus, vix est quod explicem.

DECURSUS MORBI ET EXITUS.

Diabetes, ut jam commemoravimus, plerumque tardius evolvitur et tardissime decurrit, imo per annos protrahitur. Acutioris tamen diabetae exempla traduntur; ita Dobson et Osterdyk (1) decursum acutum observarunt. Decurrit diabetes plerumque cum typo continente, attamem sunt quoque diabetae intermittentis et remittentis exempla teste Hufeland (2), Berndt (3), Medicus (4), inter quae praesertim illud ab Hufeland commemoratum notatu dignum est; tradit enim, mulierem quandam graviditate quavis durante diabete affectam, postea vero integram semper fuisse. Complicatio cum urinae incontinentia, rarius cum retentione urinae, observata est. Saepissime phthisis pulmonum ad diabeten accedit, quae lethalem exitum accelerat.

Exitus diabetae duplex est: si ad bonam valetudinem vergit, symptomata sensim sensimque diminuuntur et tandem evanescunt. Urinae et quantitas et qualitas,

(1) Horn's Archiv Bd. II. p. 1065.
(2) Hufeland, Journal Bd. 65, St. 7, p. 32.
(3) Berndt, l. c. 176.
(4) Geschichte der period. Kr. Theil I. p. 161.

ad normam redeunt, nec minus secretiones reliquae; restat autem semper magna ad reversiones propensio. Nec minus saepe fit, ut aegrotantes, quamvis diabetes cesserit, ob phthisin pulmonum irruentem morten subeant.

Cum vero symptomata crescunt, cum febris hectica et colliquationis signa accedunt, mors certa imminet, qui crebrior est exitus.

Accedunt, per ultimum morbi stadium oedema pedum, deliria, hallucinationes, convulsiones, paralysis, praesertim vesicae urinariae. Berndt (1) cataractam utriusque oculi bis observavit. Paulo ante mortis introitum materia saccharina urine interdum evanescere dicitur. [Albers (2)].

SECTIONES CADAVERUM.

Sectiones, quae institutae sunt, certam eamque in quovis casu constantem alienationem aut destructionem viscerum non obtulerunt.

Inter perpaucos, quibus cerebrum exploratum est, casus, duo memoratu digniores exstant. In altero nempe casu cerebrum nimis durum, sub dura matre collapsum reperiebatur, ita ut inter hoc illamque spatium vacuum appareret [Horn (3)]. In altero casu hydrops arachnoideae aderat, cujus serum spatium vacuum inter cerebrum membranasque explebat; substantiae cinereae magna pars resorpta videbatur (4). Venables medullam spinalem inaequabiliter duram, membranasque vasis opulentissimas invenit; nervum sympathicum utriusque la-

(1) Berndt, l. c. 181.
(2) v. Graefe's u. v. Walther's Journal Bd. XX. H. 4.
(3) Horn, Archiv B. XXII.
(4) v. Stosch l. c. p. 104.

teris a loco inde ubi abdominis cavum intrat, usque ad pelvim triplo aut quadruplo solito crassiorem Duncan (1) vidit; neque tenuior erat nervus splanchnicus in pectore.

Pulmones plerisque in casibus morbosi sunt reperti: interdum inflammatio pleurae costalis ac pulmonalis [Berndt (2)]; haud raro alterutrius lateris pulmo amplificatus atque insolitae mollitiei; in bronchis et cellulis pulmonalibus inflammationis signa (ibidem).

Venas, praesertim organorum chylopoëticorum, sanguine nigro valde impletas observarunt: Rutherford, Marshall, Duncan, Baillie, Dupuytren et Thenard, de Stosch (3); Michaëlis sanguinem illum chylo mistum. Marshall socolacei coloris invenit. Vasa lymphatica amplificata deprehenderunt: Junker, Home, Dupuytren et Thenard, molliora Duncan et Rutherford. Hepar modo normale modo adauctum inventum est (Berndt). Mead dicit: semper inveni in hepate steatomatosi aliquid. In vesica fellea de Stosch et Sagehorn calculum repererunt. Stomachum valde amplificatum viderunt: Berndt, de Stosch, Dupuytren et Thenard. Intestina magnam copiam fluidarum faecum continuerunt subviridi coloris acidique odoris (Stosch, Baillie, Michaelis, Rutherford); membranam mucosam fuscam et crassiorem solito invenit de Stosch. Berndt in tunica intima ventriculi prope regionem cardiacam maculas caeruleas, omnemque membranam mucosam emollitam, intestinum crassum de-

(1) De Stosch l. c.

(2) Berndt l. c. p. 177.

(3) De Stosch l. c.

nique ulceratum vidit; Home(1) glandulas mesaraicas majores et induratas. Lien modo sanus, modo putridus, membranae vesicae urinariae nunc crassiores, nunc normales, vesica ipsa modo contracta, modo dilatata, modo sana animadvertebantur. Ureteres mirum in modum expansos describunt Ruysch, Rutherford, Reil. In pancreate lapillos se invenisse tradit Cawley, prostatam majorem et induratam Morgagni. Home renem sinistrum amplificatum ambosque molliores solito acidumque odorem edentes reperit. Hope et Baillie etiam renes majore ambitu, vasaque renalia adeo sanguine turgida se vidisse affirmant, ut aut congestio, aut inflammatio affuisse videretur. Ruysch semel nihil nisi membranosas partes renis unius vidit, in alio casu utriusque renis substantiam plane consumtam, membranasque crassescentes et contractas. Baillou et Reil renes calculis plenos, Richter ulceratos deprehenderunt.

Cadavera denique testibus de Stosch, Knebel, Dupuytren et Thenard omni odore cadaveroso carebant; Michaelis moscho similem odorem percepit; musculi laxi, interdum, ut sanguis, coloris socolacei; ossa nonnunquam emollita.

AETIOLOGIA.

De causa proxima hujus morbi magna viget opinionum dissensio, quarum praecipuas breviter enumerabo.

Sunt, qui organa, quae urinae secretioni praesunt, sola peccare arbitrentur, diabeten ergo pro locali affectione habeant; inter hos Galenus, Trallianus, Pa-

---

(1) Rollo l. c. 138.

racelsus. Creutzwieser (1) diabeten spasticum et torpidum distingui suadet, quorum illum ex nimia renum incitabilitate, hunc ex laxitate vasorum renalium deducit. Richter et Soemmering spasmodicos inter affectus huncce morbum collocandum esse contendunt. Darwin suspicatur diabetae causam in motu retrogrado chyli cerni, quippe qui non ad ductum thoracicum, sed ad renes vadat ibique excernatur. Alii in hepate scirrhoso et bile vitiata diabetae causam collocarunt; alii denique ex functione cutis perversa originem derivarunt, ut Tissot ex cute humores absorbente; Kausch, Brandis aliique ex suppressa cutis exhalatione. Mascagni vasorum lymphaticorum adauctam resorptionem, vel glandularum lymphaticarum obstructionem accusat.

Quae vero theoriae minime naturam morbi illustrant; accedamus ergo ad eas, quae assimilationis vitia culpanda censent. Willis sanguinis dissolutionem accusat; Cullen et Home diminutam et plane perturbatam assimilationem diabetae causam proximam perhibent.

Rollo (2) causam diabetae proximam hoc modo explicare studet: praeter normam aucta est ventriculi actio vitalis cum nimia secretione et depravatione succi gastrici, quae acescentia et fame, post cibos sumtos mox redeunte, perspicua redditur; inde materia oritur saccharina, simulque assimilationis laesio, fortasse ob adauctam resorptionem vasorum lymphaticorum. Urinae adauctam secretionem partim ex materia saccharina deducit, partim ex ventriculi actione majori, cujus etiam renes par-

(1) Creutzwieser de cognosc. et curand. diabete. Halae 1794.

(2) Rollo l. c. 173.

ticipes fiant; minime cutis absorptione eam effici existimat.

Haase (1) hyperoxydationem succi gastrici primum ad efformationem diabetae momentum vindicat, qua resorptio in organis digestionis et cute exagitetur, simulque renes irritentur et urina augeatur. Materia saccharina, inquit, ex victu vegetabili per acidum succi gastrici educitur et per urinam excernitur.

Hufeland (2) causam proximam in alienatione chemici processus in renibus ponit, quo ex chylo saccharum educatur.

Berndt (3) ex omnibus observationibus suis compertum habet, diabeten initium capere ex alienatione organorum digestionis, unde sitis ac fames, tensio praecordiorum, vomitus, corruptela succi gastrici, exagitata venarum gastricarum resorptio, ex qua oriatur exaltatio actionis renum, propter consensum inter ventriculum et renes. Morbo paullatim progresso materia, inquit, saccharina efformatur, simulque nitrogenium diminui verisimile est.

Restat, ut theorias eorum proferam, qui diabetae causam in affectione quadam nervorum cerni docent.

P. Frank (4) diabeten cum rabie canina comparat: sicuti in rabie canina, inquit, ex animali veneno, in nervos faucium praecipue agente, fluidorum fastidium derivatur, ita quoque sitim, diabetae potissimum symptoma, ex

---

(1) Haase, Erkenntnifs und Kur d. chron. Krankh. Bd. III, p. 354.

(2) Journal Bd. 65 p. 39.

(3) Berndt l. c. 184.

(4) P. Frank l. c. 33.

contrario in eosdem nervos agente stimulo et praecipue ex systematis lymphatici actione hoc modo excitata, repetere licet.

De Stosch (1) causam proximam diabetae abolitionem resorptionis venarum esse docet, paralysi ejus partis nervi sympathici, quae systemati venoso praesit, inductam. Morbum tabis nervosae speciebus adnumerat. Systema venosum praeest resorptioni materiae per organicam dissolutionem ac liquefactionem hyperanimatae, quae ad efficiendam assimilationem necessaria est. Qua si sanguis caret, animalisatio et hyperoxydatio chyli imperfecta redditur, itaque sanguinis mixtio alienatur. Chylus in sanguinem haud conversus, materiae instar alienae in eo remanet et per organa uropoetica excernitur. Inde defectus urei, inde materiae saccharinae origo etc.

Neumann theoriam tradens de diabete secretionem urinae et seminis ab uno eodemque plexu renali pendere contendit; hic enim plexus, inquit, in diabete morbosus, tantum in renes agit; omnis testium secretio tollitur, simulque renes non urinam sed aliud fluidum secernere incipiunt, quod saccharum continet.

Neque denique causae remotae plane innotuerunt, nonnullae tamen saepius observatae sunt.

Dispositionem hereditariam sese observasse dicunt Rondelet, P. Frank, Brisbane. Singularis corporis constitutio minime diabetae favet, nam robusti et debiles in eum inciderunt; plethora tamen abdominalis interdum ad diabeten efformandum conferre videtur.

---

(1) De Stosch l. c. 27.

Neque sexus neque aetas multum valet. Sunt quidem, qui feminas rarius affici contendant, aliorum autem experientia hocce refellit. Ita exempli gratia inter novem, quos Berndt (1) curavit, aegrotos quatuor mares et quinque mulieres erant. Omnes etiam aetates diabetae obnoxiae sunt; rarius vero infantes corripiuntur; saepissime inter annum XXX. et L. morbus occurrit, sed etiam grandaevi eo laborarunt. [Frank (2), Berndt (3)]. Congenitus diabetes nunquam observatus est. Alii diaetam nimis luxuriosam, alii viliorem accusant. Quaecunque organa digestionis et uropoëtica debilitant, morbo efformando favere, nemo dubitabit. Haemorrhoides praeterea et arthritidem nonnulli inter causas praedisponentes gravissimas referunt.

Inter causas occasionales frequentissimae habentur: nimii mentis labores (Boerhaave, Heim, Formey), animi affectus deprimentes, moeror, sollicitudo (Willis, Wolff), repentinus terror. Morbi organici cerebri [Venables (4)], commotiones medullae spinalis, onera per longum tempus humeris imposita. Nocet abusus diureticorum [Schenk (5)], nec minus vini recentis et acidi [Lister (6)], cerevisiae etc. Ex refrigeratione exortum viderunt: Michaelis, Wolff. Graves, debilitantes nervorum affectiones saepissime diabeten provocant, ut onania et excessus in Venere. Persaepe quo-

---

(1) Berndt, l. c. 183.
(2) Frank, l. c 31.
(3) Berndt, l c. 176.
(4) A practical treatise on diabetes London 1825.
(5) Observat. lib. III. 455.
(6) Exercit. med. 79

que diabetes metastaticus, morbis aliis suppressis, exoritur, ut post catarrhales affectus, exanthemata, febres, pedum sudores, saepissime autem post arthritidem, syphilidem, scrophulosin.

Reil denique exemplum diabetae infectione provocati enarrat. Etiam dipsadis serpentis morsum diabeten excitare veteres scriptores omnes affirmant. In humidis terrae regionibus frequentius apparet, quam in siccis, hinc crebrius in Anglia, Aegypto etc.

PROGNOSIS.

Prognosis diabetae plerumque infaustissima est. Currie nunquam aegrotum, cujus lotium materia saccharina imbutum erat, sanatum vidit. Cullen ex viginti aegrotis, quos ipse curaverit, et ex aliis, de quibus audierit, nullum unquam morbo esse liberatum, affirmat. P. Frank inter decem aegrotos duos se sanasse perhibet, quorum alter tamen iterum morbo denuo correptus obierit; praeterea de medico quodam refert celebri, qui ex viginti aegrotis ne unum quidem restituerit.

PENDET AUTEM PROGNOSIS

A stadio morbi. Quo maturius morbus cognoscitur, eo melior prognosis; ubi morbus jam diutius perduravit, ubi jam vitia viscerum organica, ubi hydrops et febris hectica accesserunt, prognosis pessima.

Ab urinae, nec minus materiae saccharinae ei admixtae copia. Sin urina diminuitur, si materia saccharina evanescit, prognosis faustior.

Pendet porro ab aetate. Homines aetate jam pro-

vecti gravius hoc morbo periclitari dicuntur, quam juvenes.

Maxime denique causae praedisponentes sunt respiciendae, inter quas praesertim onania et excessus in Venere omnem fere spem sanationis auferunt. Potatores quoque gravius quam alii diabete infestari dicuntur.

Melioris autem exitus signa sunt: cutis humida, noctes quietae, nec assidua urinam mingendi necessitate turbatae, fames ac sitis diminutae, urina ad normam vergens, virium instauratio, corporis augmentum. Caveas autem, ne symptomatum sola remissione decipiaris, nam haud raro fit, ut, qui perfecte jam convaluisse videretur, eodem morbo ex improviso iterum correptus, eo citius pereat. Neque boni ominis est, si inter colliquationis signa, inter febrem hecticam, inter hydropem sapor urinae dulcis evanescit, nam supra jam de illis locuti sumus, qui morte imminente talia evenisse referunt.

CURATIO.

In tanta causarum, quae diabeten inducere creduntur, multitudine et varietate certam curandi methodum constitui posse, quis est, qui exspectet? Quot et quam diversae theoriae de morbi natura, tot et tam variae curationis methodi; neque ullum fere remedium in toto medicaminum grege invenies, quod ab hoc illove contra diabeten commendatum non sit. Liceat ergo, nonnullas curandi rationes, quae pluribus profuisse dicuntur, afferre.

Rollo (1) curationis fundamenta haecce praecipit:

(1) Rollo, l. c. 193.

formatio materiae saccharinae prohibeatur et actio ventriculi aucta ad normam reducatur. Hunc in finem aegrotus alimentis modo fruatur animalibus, vitet vegetabilia, quippe quae sacchari formationem adjuvent. Vivendi autem ratio hoc modo instituatur: pro prandio aegrotus hauriat lac cum tertia aquae calcariae parte mixtum; post aliquod tempus sumat farcimen ex adipe et sanguine confectum. Meridiano tempore jusculum carnis, carnem ferinam, aut vetustam, et, quoad ventriculus patitur, adiposam et rancidam temperantius ingerat. Sub vesperam eosdem, quos pro prandio sumsit, cibos comedat, quibus casei pauxillum addere licet. Bibat aegrotus lac, aquam cum infuso hb. Menth. piperit. mixtam, cui vitella ovorum cruda adjungantur, praeterea autem kali sulphuricum, aqua fervida solutum. Indusio laneo utatur, et cutem lardo perfricet. Maneat domi. Vespere vini stibiati guttas viginti cum viginti quinque tincturae opii guttis sumat. Commendat etiam digitalem et hb. nicotianae, nec non tinct. antimonii tartarisatam, ulcus artificiale ad regionem renum applicandum, denique, ut alvus rite solvatur, pilulam ex aloës et saponis partibus aequalibus paratam.

P. Frank (1) enarrat, quendam suorum auditorum emplastro vesicante, ossi sacro imposito, duos diabete aegrotantes restituisse; ipse autem, ut tradit, asae foetidae usu cum extracto myrrhae aquoso et valeriana perspicuum urinarum decrementum ac cupro ammoniacali, bis per diem a grano dimidio ad unum porrecto, perfectam valetudinis instaurationem obtinuit.

---

(1) Frank, l. c. 39.

De Stosch (1) haecce profert: removeatur primum paralysis systematis nervosi automatici, restituatur resorptio venosa, tollatur tabes universalis. Primae indicationi ut satisfaciamus, utamur remediis excitantibus, ammonio, phosphoro, oleis empyreumaticis etc., quae et secundae indicationi respondent; sin autem accumulata producta pathologica prius removenda sunt, emetica adhibeantur. Contra tabem denique tonica prosunt, ut Quassia, China, ferrum.

Wolff (2), qui diabeten saepius ex refrigerio ortum vidit, transpirationem provocare, et digestionis anomaliam tollere studebat. Quare commendat infrictiones aromaticas, diaphoretica, pilulas ex asa foetida, felle tauri, ammonio carb. pyrooleoso, oleo valerianae, pulverem Doweri c. ammon. carb., diaetam animalem; serius Tr. chinae comp. c. Tr. canthar.

Berndt (3) tres indicationes proponit: necesse est primum organa digestionis per emetica saburris liberari; tum alienationem nervorum ventriculi debellari, quod opio, morph. acet., cupro sulph. ammoniato bene perficitur, denique digestionem corrigi et cachexiam diabeticam supprimi. Hunc in finem creosoto usus est ad gtt. XXV — XL, et victu animali.

R. Whatt (4) venaesectionibus largis iisque iteratis valetudinem restituit.

Formey (5) etiam, methodo antiphlogisticae addi-

---

(1) De Stosch, l. c. 129.
(2) Horns Archiv 1818. Hft. 12.
(3) Berndt, l. c. 192.
(4) Whatt, cases of diabetes ec. Glasgow 1808.
(5) Formey, vermischte Schriften.

ctus, hirudines juxta columnam vertebrarum apponi, aqua frigida eam lavari, diaetam parcam potumque mucilaginosum imperari jubet. Ad internum praeterea usum camphoram et opium laudat.

Nicolas et Gueudeville, nec multo post Thenard et Dupuytren, prosperrimos eventus diaeta animali, qualem Rollo praescripsit, obtinuerunt.

Pinel diabeticum quendam, per longum tempus moestitia pressum, sine ullo medicamine, eo tantum, ut ruri viveret, ubi moestitia cessit, sanatum esse narrat.

Lefevre (1) diabeten balneis vaporariis sublatum describit.

Rochoux denique ureum ipsum adhiberi suasit, quod vero crasin urinae non modo non corrigit, sed ejus copiam largiorem reddit.

---

(1) Magendie, Journ. de la physiologie. Tom. IV. 1824.

VITA.

Natus sum ego Ferdinandus Fock anno decimo quinto hujus saeculi Sundiae, patre optimo Friderico Fock, matre dilectissima Anna Maria e gente Meier, quos adhuc vivos veneror. Fidei evangelicae addictus sum. Primis literarum elementis imbutus gymnasium Sundense frequentavi, quod quum maturitatis testimonium nactus reliquissem, Gryphiam me contuli anno millesimo octingentesimo tricesimo quarto, ibique a rectore magnifico t. t. Ill. Schirmer in numerum civium academicorum receptus et a decano spectabili Ill. Berndt in album facultatis medicae inscriptus sum. Quo facto Ill. Erichson de logice audivi disserentem, Ill. Stiedenroth de psychologia, Ill. Barthold de historia universa, Ill. Tillberg de physice experimentali, Ill. Hornschuch de botanice, zoologia, historia naturali universa, Ill. Laurer de osteologia, syndesmologia, neurologia, angiologia, Ill. Schultze de anatomia et physiologia corporis humani. Autumno a. MDCCCXXXV. hanc almam musarum sedem adii, ubi rector t. t. magnificus Ill. Busch me recepit, decanus spectabilis Ill. Müller nomen meum in album inscripsit. Lectiones has frequentavi: chemiam Ill. Mitscherlich, historiam naturalem universam Cel. Burmeister, materiam medicam Exp. Mitscherlich, anatomiam comparatam Ill. Müller, pathologiam et therapiam generalem Ill. Wagner, morbos mentis Ill. Horn, anatomiam organorum sensuum Ill. Schlemm, In cadaveribus secandis duces mihi fuerunt Ill. Müller et Ill. Schlemm.

Autumno anni sequentis Bonnam me contuli, ubi rector magnificus Ill. Wutzer inter cives me recepit decanus vero spectatissimus Ill. Naumann nomen meum in album retulit. Ibi per annum et dimidium hisce interfui lectionibus et institutionibus clinicis: Ill. Nasse de pathologia et therapia speciali; Ill. Wutzer de chirurgia, de arte operationes instituendi, de anatomia chirurgica, de fasciis; Ill. Kilian de arte obstetricia, de morbis mulierum et de morbis infantium; Ill. Bischof de arte formulas medicas concinnandi; Ill. Albers de semiotice. In clinico medico dux mihi fuit Ill. Nasse in chirurgico Ill. Wutzer, in obstetricio Ill. Kilian.

Berolinum reversus a rectore magnifico Ill. Boeckh receptus, a decano spectabili Ill. Wagner studiosis medicinae adscriptus sum. Interfui clinicis exercitationibus chirurgicis et medicis, quas Cel. Truestedt et Cel. Wolff moderantur, nec non praelectionibus de anatomia pathologica Ill. Müller.

Quibus omnibus viris maximas, quas possum, gratias ago semperque agam.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico rite superatis, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine absoluto, spero fore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

THESES.

1. Post amputationem semper prima intentio est mo- lienda.
2. In curanda hydrocele incisio praeferenda est punctioni
3. Conjunctiva membrana mucosa est.
4. Bronchotomia in angina membranacea incertum pror- sus remedium.
5. Venae etiam resorptioni inserviunt.
